

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3939

Auteur(s) : Guillaume Marmion [écuyer]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1282, décembre

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume dit Marmion fait savoir que Renaud dit Barbou, bailli de Rouen, lui a reconnu prendre au nom du roi 9 arbres de la forêt royale de Bonneville-sur-Touques tous les ans.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1011, p. 261.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus dictus Marmion, armiger, salutem. Cum ego dictus Guillelmus haberem et perciperem in foresta domini regis de Bonavilla super Touquam, per liberationem viridarii dicti loci, novem arbores ad usus meos proprios annuatim, quas non poteram vendere, donare, nec de ipsis aliquam permutationem facere, videlicet quamdam quercum et unam fagum magnas, tres jarrios de quercu et quatuor jarrios de fago, et cum ego dictus Guillelmus, spontanea voluntate, et pensata utilitate mea, et deliberatione habita diligenti, de dicta summa arborum remissem domino regi duos jarrios de quercu et quatuor jarrios de fago, videlicet tali conditione quod ego et heredes mei de dictis fago et quercu magnis et uno jarrio de quercu, de dicta summa michi remanentibus, tanquam de nostro proprio nostram poterimus plenarie facere voluntatem, notum facio quod Reginaldus dictus Barbou, tunc temporis ballivus Rothomagensis, pro predicta remissione dictarum arborum, nomine ipsius domini regis, michi et heredibus meis concessit, quod nos de cetero habeamus quolibet anno sine contradictione predictas quercum et fagum magnas et unum jarrium de quercu, juxta vendam dicte foreste, per liberationem forestarii capiendas, ita tamen quod ego et heredes mei habebimus dictas arbores in dicta foresta extra deffensa per liberationem forestarii qui pro tempore erit ibidem, si ita contingeret quod dicte arbores juxta vendam dicte foreste non possent competentes inveniri. Et ad hujusmodi contractum tenendum, ego dictus Guillelmus obligavi me et heredes meos im perpetuum et res nostras. In cujus rei testimonium, sigillum meum presentibus litteris apponere dignum duxi, et, ad majorem hujus rei confirmationem, et ad petitionem meam, dictus ballivus una cum sigillo meo sigillum ballivie Rothomagensis presentibus litteris apponere dignum duxit. Actum anno Domini M° CC° octogesimo secundo, mense decembri.